

Vrbanus &c. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, ac ceteris Ecclesiarum Prelatis per Svetiam constitutis Salutem &c.

Terram Sanctam, quam Vnigenitus Dei filius Dominus Ihesus Christus in proprium sibi patrimonium, et hereditatem elegit conspicientes feritate diversorum infidelium immaniter lacerari, vias et modos desideranter exquirimus, quibus eidem terre possint oportuna presidia nostro ministerio provenire. Quare de Venerabili Fratre nostro . . . Episcopo Scarensi quem Dei timorem habere credimus, et amorem, quique multiplicibus donis virtutum predictus utiliter scit, et valet ubi labores impendit plenam in Domino fiduciam obtinentes, predicationem Crucis pro dicta terre subsidio in Svetia sibi per nostras litteras sub certa forma duximus committendam, cupientes ut negotium ipsum in manibus eius eo plenius divina clementia faciente proficiat quo magis insidet cordi nostro, et quo maiorem necessitatem ad pressens eidem terre novimus imminere. Ideoque Vniversitatem vestram rogamus, et hortamur attente vobis nihilominus in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus prefato Episcopo, et aliis, quos in hoc ipse cooperatores elegerit circa ipsius negotii prosecutionem ferventer assistere studeatis, habentes ipsum Episcopum immo potius nos in ipso tanquam nobis intimum in eiusdem prosecutione negotii favorabiliter in Domino commendatum. Ita quod devotionem vestram commendare cum gratiarum actionibus merito valeamus, ac nihilominus exinde divine retributionis vobis proveniat incrementum. Dat. apud Vrbem Veterem Idibus Novembris Anno Tertio.

492.

1264.

Husaby Trögd.

Konung WALDEMARS och BIRGER JARLS stadfästelse på Kon. ERIK KNUTSSONS och JOHAN I:s Bref öfver gränserna för en Skoklosters tillhörighet i Småland; hvarjemte klostrets gods tages i Kongl. Beskydd.

D. a. 7: 453. *)

Universis Christi fidelibus præsentes litteras audituris vel visuris W. D. G. Rex Svetiæ, nec non et pater suus B. eadem gratia Dux ejusdem Regni salutem in filio virginis benedicto. Brevis vita mortalium res utiliter gestas ad posterorum notitiam non extendit, nisi presentium providentia procuretur, ut scriptura superstite fiat annosum, quod mors vel oblivio longinquitate temporis poterant abolere. Notum igitur facimus universis, tam præ-

*) Derstädes med anmärkningen: "collat. med Orig. Permbrefvet," det ÖRHJELM för sin egenhändiga afskrift begagnat, men hvilket sedermera lärer gått förloradt, helst PERINGSKJÖLD för sin afskrift, i E. 6: 28, ej haft annat till grund än en sednare tids copia i en bok med sign. φ. p. 75, 83. v. och 93.

sentibus quam futuris, dilectas nobis in Christo dominam Priorissam et so-
rores de Seo, nobis quasdam confirmatorias litteras presentasse, quas Illustris
Domini Ericus et Johannes quondam Reges Svetiæ felicis recordationis jam
prædictis sororibus super quarundam possessionum limitatione, exigente ju-
stitia, duxerant concedendas, quarum tenorem de verbo ad verbum sub-
sequentibus duximus inserendum. *Se Tillägget för 1210—1216 och 1216—*
1222. Et quia prædictas confirmationes cognovimus rationabiliter esse factas,
nos auctoritate nostra ratificamus easdem, adjicientes insuper tenore præ-
sentium, omnibus ad quos scriptum præsens pervenerit intimando, nos sæ-
pedictas dei famulas sub nostram protectionem specialiter suscepisse pariter
et tutelam, sub obtentu gratiæ nostræ districte mandantes, quatenus nullus
sub nostra potestate constitutus, easdem Christi famulas super possessioni-
bus earundem contra justitiam aliquatenus perturbare præsumpat. Si quis au-
tem ausu temerario contra mandati nostri tenorem facere præsumperit in
hac parte, pro certo scire debet, quod tam in persona quam in rebus gra-
vem indignationis nostræ sentiet ultionem. Datum Husaby Trøgh Anno Do-
mini M.CC.LXIV,

493.

1264 d. 2 Jan.

Rom.

Påfv URBANUS IV:s Skyddsbref för Konung ERIK i Danmark och Drottning MARGARETA så ock
deras Rike att ej, af de för fiendskap mot Regenten, utur Riket afvikne Årke-Biskopen JACOB
ERLANDSSON i Lund och Biskop PETER i Roskild, kunna bannlyssas.

F. 1: 274. An. 3. Ep. 87.

*Urbanus &c. Carissimo in Christo filio E. Regi Dacie, ac Carissime
in Christo filie. . . Regine Matri ejus illustribus Salutem &c.*

Pro sincere devotionis ac fidei pure meritis; quibus, per divinam gra-
tiam splendere probamini vos libenter speciali favore prosequimur in hiis pre-
cipue, per que status vestri tranquillitas debeat provenire, firma credulitate
tenentes, quod quanto ab apostolica Sede gratiam perceperitis ampliorem,
tanto ferventius studebitis sibi super hiis, que ipsius decus aspiciunt, opor-
tuno tempore complacere. Cum itaque sicut ex parte vestra fuit proposi-
tum coram nobis Venerabiles fratres nostri . . . Lundensis Archiepiscopus,
et . . . Episcopus Roskildensis se vestris publicis inimicis in suis dam-
pnatis studiis conjungentes, se vobis publicos emulos et inimicos constitue-
rint manifestos, ac exiverint occasione hujusmodi Regnum vestrum, nos de-
votionis vestre precibus inclinati, vobis auctoritate presentium indulgemus,
ut nullus ipsorum hujusmodi inimicitii propter culpam eorum durantibus
inter